



1366

1772, 7.

QVAESTIO
IVRIS CONTROVERSI
AN
HONORARII DATIO IN
CONTRACTIBVS GRATIOSIS LI-
BERET A DAMNO DATO
RESTITVENDO

QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
PRAESIDE
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG.
SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO
DIE VII. IANVAR. ANNO CIOIOCCCLXXII.

DEFENDET
IOANNES AVGVSTVS BECKER
SCHMIDEBERGENS.

LIPSIAE
LITERIS RYMPFIIIS.

QUESTIO
VARII CONTROVERSI
AN
HONORARI DATO IN
CONTRACTIBUS GRATIOSIS LI
BERTI A DAMNO DATO
RESTITVENDO

IN
ILLVSTRIS VICTORVM ORDINE GRATIA
FRATRID
D. CHRISTIANO HENR. BREWING
PROFESSOR PVDICO ORDINIS VNIERSITATIS
IN AVDITOREIO PVDICO
DIE VII MARII ANNO DOMINI MDCCCLXXII

IOHANNES AVDITORS BRVLL





AN
HONORARII DATIO IN CON-
TRACTIBVS GRATIOSIS LIBERET
A DAMNO DATO RESTI-
TVENDO.



§. I.

Quid sub *honorario* intelligamus, admodum vulgare est. Nos quidem de vario huius vocabuli significato nihil dicamus: adeat, qui scire cupit, eos, qui de Verborum significatione scripserunt. Nobis est liberalitas quaedam seu largitio, quae remunerandi officii nobis praestiti causa datur. Cum ad liberalitatis species referatur: in regula ius perfectum adesse nequit, exigendi honorarium, magis pendet a liberali animo dantis; hinc nec ad illud petendum actio competere potest. Testis mihi est *VLPIANVS* in *L. 1. §. 5. π. de extraord. cogn.* Scribit: *Proinde ne iuris quidem civilis professoribus ius dicent. Est quidem res sanctissima civilis sapientia: sed quae pretio nummario non sit aestimanda, nec debonestanda, dum in iudicio honor petitur, qui in ingressu sacramenti offerri debuit, quaedam enim tamen si honeste ACCIPIAN-*

PIANTVR, inhoneste tamen PETVNTVR. Quod de iuris ciuilis professoribus scriptum, de aliis liberalium artium et studiorum praeceptoribus et professoribus confirmat idem VLPIANVS *cit. leg.* et concludit: *ideo his quoque extra ordinem ius dici debet.*

§. II.

Quae vero prima honorariorum causa sit, ex ea in factum actione, quam praetor contra eum, qui in mensurandis agris falsum modum dixerat, dederat, facile apparet. Refert eam VLPIANVS in *L. i. pr. π. Si mens. fals. mod.* Ait: *Ideo autem hanc actionem proposuit: quia non crediderunt veteres, inter talem personam locationem et conductionem esse: sed magis operam beneficii loco praebere, et id, quod datur, ei ad remunerandum dari: et inde HONORARIVM appellari.* Sed non semper honoraria data, quoties artium liberalium studia interueniunt, verum et aliis negotiis, quae unilateralem tantum habent obligationem, remuneratoria largitio accedere potest. Fac commodatum mihi ab altero concessum. Non ideo quicquam pro vsu rei exigat commodans perfecto iure, gratis enim concessit vsu. At non respuit honorarium, quo quasi beneficium vsus concessi remuneraturus est commodatarius. Sic mandatarius mandantis negotia gratis se expediturum promittit. At si vtiliter gesserit ex mandantis intentione, nihil quidem petere potest, sed *remunerandi gratia honor interuenire potest, ut ait VLPIANVS in L. 6. princ. π. mandat. vel contra.* Ita etiam in deposito. Depositarius gratis alterius rei custodiam in se suscipit, neque eidem ius erit, aliquid exigendi pro custodia exhibita. At nihil prohibet, quo minus deponens sollicitudinem atque industriam in custodienda re exhibitam honoraria largitione compensare possit. In his *inhoneste peterentur, quae honeste tamen accipiuntur.*

§. III.

§. III.

Iam his expostitis, ipsius quaestionis propositae: *an videlicet honorarii datio in contractibus gratiosis liberet a damno dato*, restituendo, explicationem suscipiamus. Quo id commodius fieri possit, per varias species tractabimus. Primum de commodatario, honorarium commodanti dante, dicamus. *¶* Fingamus Paulum Caio rem quandam commo-
dasse. *¶* Cum vero illud officium esset commodantis, ut re utatur ex officio diligentissimi patris familias, ut GAIVS in *L. 18. pr. ff. commod. vel contr.* monet; sequitur, si hoc neglexerit officium, neque in utenda re iustam diligentiam adhibuerit, et in re, utendum data damnum datum sit, ad illud restituendum commodatarium teneri. Quae si vera, ut nemo dubitat, fingamus, hunc parum curiosum nostrum commodatarium Caium in re commodata damnum dedisse, atque ut compenset humanitatem commodantis in concedendo suae rei usu, honorarium eidem offert. Queritur: an commodans, qui honorarium acceperat, nihilominus possit commodati actione experiri contra commodatarium, ad damnum refarciendum.

§. IV.

Equidem videri posset, commodatarius, offerendo honorarium, eam habuisse intentionem, ut, quod in commodata re damnum dederit, eo quasi compenset. Addit pondus, quod in dubio nemo liberalis praesumendus sit, et ideo, quod datum, in hanc causam, ut damni dati restitutio fiat, datum videri. Sed valde dubitatio, quin haec recte se habeant. Nam differt damni restitutio ab honorario dato. Concedam quidem, si inter damni aestimationem, et id quod datum est a commodatario, quaedam sit aequalitas atque proportio, neque a parte dantis declaratio facta, in quam causam datum sit, magis pro damni restitutione praesumendum, ex eo, quod nemo praesu-

matur donasse, et quod in dubio censendus quilibet, se voluisse ab imposita obligatione se liberare. At si vel animum suum liberalem expresserit commodatarius in dando honorario, vel non aequet aestimationem restituendi damni: an et tunc statuamus, cessare debere actionem commodati ad damni restitutionem? sane non putarem. Et sic vera est Dd. regula: honorarium non mutare naturam contractus. Cum enim ex contractu oriatur obligatio ad restituendum damnum, dato quamvis honorario, manet commodanti salua actio directa ad damni restitutionem.

§. V.

Iam de deposito. Quid? Si Caius apud Sempronium rem deposuerit. Cum eandem postea repeteret deponens a depositario, isque depositum, redderet, offert eidem depositario Caius honorarium in remunerationem curae custodiaeque rei depositae. Postea apparet, lata depositarii culpa damnum in re deposita datum: quaeri potest, an dato honorario damni restitutionem remisisse videatur deponens, vt directa depositi actione agere nequeat. Non vtar argumento LABEONIS in *L. 34. §. de depositi*. Scripserat: *Potes agere depositi cum eo, qui tibi non aliter, quam nummis abs te acceptis depositum reddere voluerit: quamvis sine mora et incorruptum reddiderit*. Hoc enim caput non de honorario agit, sed de depositario, qui detrectat depositi restitutionem, nisi solutis prius acceptisque nummis, quas repetere tanquam illatum damnum posset deponens. Sed vtar argumento, quod supra dedi, scilicet depositi naturam non mutari dato honorario. Compensare voluit custodiam, ne ingratus praestiti officii videatur deponens. Nisi ergo deponens in dando honorario expresse se declarauerit de remittendo damno, suo enim iure recte renunciare potest, vtique eidem salua erit actio ad damni restitutionem.

§. VI.

§. VI.

At quid? Si depositarius impensas fecerit, vel alia ratione contraria obligatio existat, an honorario accepto cesset depositi contraria actio. Videndum, quae dantis intentio. Si deponens eo animo dederit, depositarius ea intentione acceperit, ut, honorario dato, depositario de damno satisfactum sit, non dubitandum videtur, cessare tunc contrariam depositi actionem. Contra si tantum remuneraturus curam custodiamque deponens dederit honorarium, cum nihil mutetur per honorarium in contractu, saluam adhuc fore arbitror contrariam actionem ad impensas refundendas.

§. VII.

Ita quoque res comparata erit in mandato, quodque eidem affine est officium, scilicet negotiorum gestione. Quodsi mandans dederit honorarium mandatario vel negotiorum gestori, an, quum ex mandato habeat actionem directam, remisisse videatur, quaeri potest. Sed respondet *VLPIANVS* in *L. 6. π. mandat.* *Si remunerandi gratia honor interuenit, erit mandati actio.* Concedit itaque actionem mandanti, non obstante honorario, quod non omnimodam gesti negotii probationem habet. Neque semper honorarii acceptio adimet contrariam et mandati, et negotiorum gestionis actiones, nisi eo animo et datum et acceptum sit, ut mandatarius simul indemnus fiat de impensis factis. Quodsi itaque tantum datur remunerandi officii et laboris causa, ea, quae impendit et procurator, et negotiorum gestor, recte repetet; non enim naturam negotii mutat honorarium.

§. VIII.

Alia species demum est in agrimensore, qui falsum modum dixit. Supra ex *Vlpiano* docuimus, veteres credidisse, in agrimensoribus locationem conductionem non esse,

esse, sed operam beneficii loco praebere atque, quod datur, ad remunerandum tantum dari, quod honorarium est. Acceperunt itaque agrimensores pro praestita opera, non quidem mercedem, sed honorarium, quod *pulueraticum* dicebatur, teste *CVIACIO* in *Obseru. L. III. cap. 18.* ex *Constitutione Valentiniana et Theodosiana* apud *Frontinum*. Iam quaeramus, cum, si falsum modum mensor dolo vel lara culpa, quae dolo equiparatur, dixerit atque pulueraticum acceperit, an nihilominus adhuc actio in factum aduersus mensorem dari possit, an excludatur actio praestito honorario, quasi dando honorarium suo renunciauerit iuri. Sed salua res est, neque sola honorarii datio efficere poterit, vt, qui ex renunciato falso modo damnum perpeffus est, indemnitate exigendi ius amittat. Quod et inde patet, quod *Vipianus*, qui mox de honorario dixerat, statim ad actionem illam in factum pergit, neque distinguit, vtrum honorarium acceperit, nec ne. Dein cum ad labores compensandos et operas detur honorarium ex gratitudinis officio, quis exinde concluderet, se renunciaffe iuri suo repetendi damni per falsum modum renunciatum illati.



Leipzig, Diss., 1772 A-R



f
TA-70L

Nur 23. Stk. bisher versch.



1772, 7.

06
QVAESTIO
IVRIS CONTROVERSI
AN
HONORARII DATIO IN
CONTRACTIBVS GRATIOSIS LI-
BERET A DAMNO DATO
RESTITVENDO

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITER. DVISVBERG.

SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO

DIE VII. IANVAR. ANNO CIOIOCCCLXXII.

DEFENDET

IOANNES AVGVSTVS BECKER

SCHMIDEBERGENS.

LIPSIÆ

LITERIS RVMFFIIS.

